



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. A Consanguineis deserti, â Deo non deseruntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

*Opportuna mea est cunctis natura figuris.
In quamcumq; voles, verte, decorus ero.*

Propert. lib.
4. eleg.

Multò veriùs hæc de vero Deo canas: in omnibus periculis, in omni necessitate est opportunus. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Amemus ubique pulchrum. Pulcher est in pulchro Mundo, quem condidit; pulcher in potentia; pulcher in misericordia; pulcher in æquitate; pulcher in cœlo; pulcher in terra; decorus in Virginis vtero; decorus in iumentorum stabulo; decorus in cunis; decorus in templis; decorus in spinis; decorus in clavis; decorus in ipsa crucis deformitate: potens verbo, potens facto. Pete ab eo, quidquid à Deo peti potest, & (si quidem tibi proderit) scito, te impetraturum. Accusant te homines? premunt aduersarij? ad illum recurre, & audies: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Sic sperantes Apostolos à calumnijs Phariseorum liberauit, quando *esurientes ceperunt vellere spicas, & manducare.* & Pharisei videntes dixerunt ei: *Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbathis: Tunc enim dixit eis: Non legistis, quid fecerit Dauid: quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neq; his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus. Aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo sabbathum violant, & sine crimine sunt. Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes.* Eodem pacto protexit illos, quando accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scriba & Pharisei, dicentes: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, cum panem manducant.* Nimirum sic Deus iudicat, vt malè iudicantes damnet; & cum nemo est, qui defendat innocentes, ille patrocinium eorum suscipit. Quod qui credit vndique linguis appetitus, libenter ad illum recurrens dicit: *Redime me à calumnijs hominum.*

Hebr. 4. 16.

Psal. 90. 14.

Matth. 12. 1.

1. Reg. 21. 4.

Matth. 15. 1.

Psal. 113.

Quid, quòd ab ipsis etiam amicis, cognatis, fratribus ac parentibus deserti à Deo non deseruntur? Neque enim vana est laus illa: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Nonne amici Iob tales erant, vt eis meritò diceret: *consola-*

III.

Psal 26. 10.

Iob. 16. 2.

consola-

consolutores onerosi omnes vos estis? Ipsa eius vxor, tanquam Lycifca, ante eum stabat, & latrabat: ipsi filij & filia mœrore ingenti eum affecerunt: deseruerunt eum opes; deseruerunt vires; denique, velut catharma, in sterquilinio iacebat, *Dominus autem assumpsit eum: Et addidit omnia, quaecumq; fuerant Iob, duplicia, & benedixit nouissimis Iob, magis, quam principio eius.* A fratribus desertus erat Ioseph, sed *Dominus assumpsit eum.* A patre desertus erat, qui dixerat: *Domine permittite mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Sed Dominus assumpsit eum* inquit: *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Neque mater potuit filium iuuare, quem, ante portas vrbs Naim, loculi tactu surgere iussit Christus; potuit ergo iuuare Christus; & potuit dicere adolescens: *mater mea dereliquit me, Dominus autem assumpsit me.*

I V.

Pastos esse ab eodem Seruatore, qui, quod manducarent, non habuere, supra meminimus. Sed & opifices nequidquam sudantes, si ei necessitatem suam aperiant, nequaquam deseruntur. *Præceptor, tota nocte, laborantes nihil cepimus, ait bonus alioqui cymbæ liniq; magister.* Qua arte aliquid capere potuit? *In verbo autem tuo laxabo rete, ait. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam.* O opifices, quibus nihil ex voto succedit, quid totos dies, totasque noctes frustra fatigamini? quid oleum & operam perditis? verum est, sudatis: verum est, vigilatis: verum est, suendo, secando, fabricando, piscando vos rumpitis: verum est, precium duplum laboris exigitis, & captatis: & nihil hæc omnia proficiunt: figuli opes colligitis: semper egetis, semper idem inopiæ saxum voluitis; omnia lucra in sacculum pertusum mittitis: quidquid influit, effluit; quasi ad Danaidum dolia damnati in cassum laboratis. Vultis causam nosse? non est vobiscum Deus: non offertis Creatori vestro manè diem, vespere noctem: non præcedit laborem vestrum oratio: non sumitis à cruce præmissa benedictionem. Dicite cum Petro, ad Christum: *In verbo tuo laxabo rete: Vsq; modo non petistis quidquam in nomine illius: Petite, & accipietis.*

V.

Quin, etiam si regnum illius non sit de hoc mundo, nec venerit ad dandas caducas, sed æternas atque cœlestes opes; tamen, si ita profuerit, etiam pecunias providebit. *Accesserunt, qui didrachma accipiebant (publicani) ad Petrum, & dixerunt ei. Magister vester soluit didrachma? id est, duo drachma) Et ait: Etiam, Quod*